





17.  
P. 287.

DE  
**TESTAMENTO  
NVNCVPATIVO  
IN  
SCRIPTVRAM REDACTO**

P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI ET CONSULTISSIMO  
**D. DANIELE NETTELBLADT**

POT. BOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS ET PROFESSORE  
IVRIS ORDINARIO

D. IX. APR. M D C C L I I I .  
DISPVTABIT

CHRISTIANVS MICHAEL SCHÜLER  
STEND. MARCH.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.





INCLYTI  
TRIBVNALIS MARCHICI REGII  
QVOD BEROLINI FLORET

SENATIBVS  
TERTIO ET SECUNDO  
SPLENDIDISSIMIS

VIRIS  
PERILLVSTRI, ILLVSTRI, GENEROSISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,  
DOCTISSIMIS

DOMINIS  
PRAESIDIBVS  
ET  
CONSILIARIIS  
DOMINIS GRATIOSISSIMIS  
PATRONIS ET EVERGETIS  
SVIS

DEBITA ANIMI VENERATIONE SVMMPERE COLENDIS

ET

IT VIRO  
ILLVSTRI, GENEROSISSIMO, MAXIMEQVE  
STRENVO  
DOMINO  
DOMINO DE LANGERMANN  
IN  
REGIS PRVSSIAE  
EQVITATV  
PRAEFECTO VIGILIARVM SVPREMO  
DESVLTORIAE LEGIONIS TRIBVNO  
DOMINO SVO AC PRINCIPALI  
GRATIOSISSIMO  
SE  
SVAQVE STVDIA  
SVMMA CVM ANIMI REVERENTIA  
COMMENDAT  
TANTORVM NOMINVM  
CLIENS SVBMSISSIMVS ET DEVOTISSIMVS  
CHRISTIANVS MICHAEL SCHVLER.



DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
TESTAMENTO NVNCVPA-  
TIVO IN SCRIPTVRAM  
REDACTO.

CAPVT I.

DE CASIBVS, IN QVIBVS TESTA-  
MENTVM PRO NVNCVPATIVO IN SCRIPTVR-  
RAM REDACTO HABENDVM EST,  
VEL NON.

§. I.

Duplici absoluuntur omnia testamenta actu, *Notio test.*  
altero quo voluntas ipsa declaratur, alte- *nuncup. in*  
ro quo validitas voluntati conciliatur. *script. reda-*  
Prior actus iterum duplici expediri potest *cti euolui-*  
modo, nimirum, vel per verba in scripturam redacta,  
vel per verba ore prolata. Hinc oritur satis nota te-  
stamentorum diuisio in scripta et nuncupatiua, quae  
fundata est in *l. 21. pr. ff. qui test. fac. poss. et quem. fiant.* Si  
vero testator per verba ore prolata suam declarauit vo-

A lunta-

2. *Dissertatio iuridica, de testamento nuncupativo*

Iuntatem, vel ea probationis causa scriptura comprehensa existant, vel non. In priori casu testamentum nuncupatiuum dicitur *in scripturam redactum*; in posteriori vero *simplex*.

Nolo hic inhaerere iis, quae ad prima iurisprudentiae elementa pertinent, hinc silentio praetereo varia, quae de divisione testamenti in scriptum et nuncupatiuum moneri possent, remittoque lectorum ad V. C. Ferd. Aug. HOMMEL II diff. de *scriptura eiusque necessitate in testamento nuncupativo*. Lips. 1729. in qua ex instituto haec testamentorum divisio est explicata. Quod vero in specie attinet testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum, de quo hic agendum, notandum praeprimis, scripturam ultimam voluntatem testatoris continentem, vel talem esse, per quam testator suam voluntatem declarauit; vel talem, per quam testator voluntatem suam non declarauit, sed continet voluntatem testatoris verbis ore prolatis declaratam, et per consequens tantum probationis causa accedit. Prior scriptura essentiam scripti testamenti constituit: posterior vero non constituit testamenti nuncupatiui essentiam in genere, ad nuncupatiui in scripturam redacti testamenti essentiam vero requiritur. Non itaque toties, quoties voluntas testatoris ore tenus nuncupata simul etiam scripta exstaret, adeo testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum, sed potius non nisi tum, si tantum probationis causa testatoris verba ore prolati, scriptura sunt comprehensa. Ex his abunde patebit, cur in definitione adieccrim determinationem illam: *probationis gratia*, et quae sit inter testamentum scriptum et nuncupatiuum in scripturam redactum differentia. Videlicet, quae est inter contrarium litteralem et alium, cui probationis gratia scriptura accedit, differentia: ea etiam est has inter duas testamenti species. Quemadmodum ex scriptura in contractu

tractu litterali nascitur ipse contractus ; ita etiam ex scriptura in testamento scripto oritur ipsum testamentum scriptum. Prout vero ex scriptura, quae contractibus aliis accedit, tantum probatio peti potest : ita etiam huic tantum inseruit fini scriptura, quae accedit testamento nuncupatio in scripturam redacto.

§. II.

*Si voluntas testatoris verbis ore prolati declarata est, et De tempore, ea simul probationis gratia scriptura comprehensa exstat, testa quo scriptum est testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum, rā accedere siue scriptura illa, dum testator loquitur, consciatur, siue iam antebeat. tea testator litteris consignauerit suam voluntatem, siue demum ex post testatoris effata in scripturam redigantur. In omnibus his casibus enim exstat tamen testatoris ore nuncupata ultima voluntas scriptura comprehensa, probationis causa.*

§. III.

*Idem testamentum simul scriptum et nuncupatiuum simplex Quatenus testamentum esse potest: non vero simul testamentum scriptum et idem testamento nuncupatiuum in scripturam redactum. Nullam enim inuoluntatem contradictionem, eundem testatorem, eandem voluntatem ultimam non solum per verba in scripturam redacta, sed et per verba ore nuncupata declarare, et in vtroque diuerso actu declarationis, formam in legibus praescriptam obseruare; hinc idem testamentum simul scriptum et nuncupatiuum esse potest. Ait tamen in hoc casu nuncupatiuum testamentum simplex esse necesse est, quoniam scriptura, quae hic adest, non probationis causa est conscripta, sed potius talis est, per quam itidem, prout per verba ore prolati, voluntas testatoris est declarata; sive talis non est, qualis esse deberet, si*

A 2

testa-

2. *Dissertatio iuridica, de testamento nuncupativo*

testamentum nuncupatiuum pro testamento nuncupatiuo  
in scripturam redacto habendum.

Solent Dd. occasione testamenti coeci ad intermedium speciem inter testamentum nuncupatiuum et scriptum confugere, quae iis sub nomine *testamenti mixti* venit, veluti BOEHMERVS in *Diff. de testamento non praelecto*, §. 7. *TITIVS in Iure priuato*, Lib. 7, cap. 3. §. 25. aliique. Quodsi itaque per testamentum mixtum intelligerent testamentum, quod simul scriptum et nuncupatiuum est, nullus dubitarem hanc testamenti speciem pro vera specie admittere, licet in applicatione ad testamentum coeci dissentirem, prout ex infra dicendis patebit. Ast quum ea testamenta appellant mixta, quae nec proprie scripta, nec proprie nuncupatiua sunt, sed de vtroque saltem participant, nec tamen distincte explicit modum participandi, nescio an hanc speciem admirere possim, et an sit diuersa species a tali testamento, quod simul scriptum et nuncupatiuum testamentum est. Proprie loquendo non nisi tum testamentum dici potest mixtum ex nuncupatiuo et scripto, si testator voluntatem suam ex parte per verba in scripturam redacta, ex parte vero per verba ore prolata declarauerit: ast quod haec non sit eorum mens, per se patet. Si vero testamentum mixtum iis est, vt videntur, testamentum scriptum, cuius praelectio est facta, non satis concinna est haec denominatio, cum tale testamentum re vera sit testamentum, quod simul scriptum et nuncupatiuum est, prout ex infra dicendis patebit. Quodsi tandem pro mixto testamento venditare quis vellet testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum, et prouocare ad *Ord. MAXIMILIANI I. de Notariis*. Tit. von *Testamenten* §. 1. vbi, postquam de scripto et nuncupatiuo testamento actum, addit Imperator: *Item, man mag auch noch von einem dritten Geschlecht ein Testament darzu thun, als das gemacht wird*

von

von einem der blind ist, Frauen oder Mann, auch durch mündlich aussprechen, aber doch nicht ohne Schrift etc. nec hoc admittere possem. Testamentum nuncupatum enim ideo, quod accedat scriptura, nihil participat de scripto testamento, sed nihilominus nuncupatiui testamenti vim retinet. WENHER Obs. for. P. 4. Obs. 103. Videlicet ipsa differentia inter testamentum scriptum et nuncupatiuum latet in diuerso modo, quo testator suam voluntatem declarat, non vero in eo, an adsit scriptura eam comprehendens, vel non. Hinc si testator voluntatem suam per verba ore prolati declarauit, et ea probatio gratia in scripturam redacta est, ideo eius testamentum ex scripto et nuncupatiuo mixtum appellari nequit. Nec ipse Imperator in modo allegatis verbis dicit, tertiam, quam addit speciem, ex parte scriptum ex parte nuncupatiuum testamentum esse, sed dicit tantum superesse adhuc testamenti speciem, praeter scriptum & nuncupatiuum, das gemacht wird durch mündlich aussprechen, aber doch nicht ohne Schrift, et prout hanc speciem proprio nomine quodam non insignit, ita nec definit, an sit intermedia species inter scriptum et nuncupatiuum testamentum, an vero nuncupatiui sub-species. Quae cum ita sint, potius pro specie testamenti nuncupatiui, quam pro intermedia species inter scriptum et nuncupatiuum testamentum, quae mixtum testamentum dici posset, habendum esse censeo testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum cum MENCENIO in Tract. synopt. ff. L. 28. P. 1. p. 394. qui testamentum nuncupatiuum ratione modi probandi diuidit in simplex, et comprehensum instrumento.

§. IV.

Si testator dedit alicui priuatim suum testamentum, qui Quando tellud eius iussu, calamo excipit, eo fine, ut hanc suam voluntatem scriptura comprehensam vel iudici offerre, vel testibus a testatore di-

*test. nunc.  
in script.  
redactum.* subsceribendum; cum declaratione, eam voluntatem suam contine-  
re, exhibere posse, et testator suam intentionem actu exsequitur,  
testamentum potius scriptum, quam nuncupativum in scripturam  
redactum testamentum est. Si vero testator coram iudice, vel  
praesentibus testibus dictat, vel actuario, vel notario, vel alii  
suum testamentum, nec tamen postquam in scripturam redactum,  
illud cum testibus subscriptis et subjicatis, testamentum est nuncu-  
pativum testamentum in scripturam redactum. In priori casu  
enim, iudici vel testibus non per verba ore prolatâ mani-  
festauit ultimum suum elogium, et manifestatio facta  
ei, cui dictauit testamentum, non inuoluit actum testan-  
di. In posteriori casu vero haec omnia secus se habent,  
et adsunt ea, quae testamenti nuncupatiui in scripturam  
redacti essentiam constituunt, quoniam praeter verba  
ore prolatâ accedit scriptura probationis caussa.

Quilibet, vel me non monente, statim videt, in quo  
sensu hic utrare loquutione illa: *dictare testamentum.* In  
sensu vulgari nimis, qui satis notus est. Interim no-  
tandum, nonnunquam etiam in alio sensu hanc vocem  
occurgere, velut in *I. 22. C. de testam.* vbi dictare testa-  
mentum dicitur non is, qui testatur, sed is, qui formu-  
lam, qua testamenta concepi oportebat, praecipit, et quasi  
dictabat. vid. *LEYSER in Medit. ad ff. Spec. 375. Med. 13.*  
Ceterum notandum, me hic tantum definire, in quo  
casu testamentum, quod a testatore dictatur, pro scripto  
vel nuncupatio in scripturam redacto habendum sit.  
An vero, si in primo casu, postquam testamentum di-  
ctauerat testator, statim moritur, vt non potuerit testan-  
di actum absoluere, sive vel iudicem adire, vel testi-  
bus exhibere scripturam, vt subscriptant, illud nihil  
minus validum sit, praefertim, si testator esset pater,  
qui disponit inter liberos, alia quaestio est, in casu il-  
lustri

*in scripturam redacto.*

Iustri satis noto nuper ventilata, quae hic non deci-  
denda est.

§. V.

*Licet in casu posteriori propositionis praecedentis testator An praece-  
propietate non dictaret suum testamentum, ast tamen adesset inter testatorem  
eos, qui in actu testandi praesentes sunt, qui, quae palam illud dictere  
enuniat, proprio motu calamo exciperet, siue testatoris eff. requiratur?  
fata in scripturam redigeret, nihilominus testamentum pro te-  
stamento nuncupativo in scripturam redacto habendum esset. Ad  
id enim, ut testamentum pro nuncupativo in scripturam  
redacto habendum sit, sufficit, testatorem suam volun-  
tatem per verba ore prolatam significasse, et quae palam  
enunciavit in scripturam probationis causa esse redacta,  
quod et in hoc casu factum est, licet testator nihil di-  
ctauerit, nec eius iussu, quae dixit, sint calamo excepta.*

§. VI.

*Si testator in schedula quadam consignauit testamentum Quando te-  
suum vel praecipua eius capita, tumque vel coram iudice, vel testamentum,  
in praesentia testium ex hac schedula recitat suum ultimum elo. quod testa-  
gium, ipsam hanc schedulam vero facta recitatione non cassat, tor ex sche-  
dule potius vel iudici eam tradit, vel testibus declarat ex hac dulare recitat,  
schedula, quam in scriniis suis afferuare velit, nuncupatam suam pro nunc. in  
voluntatem posse cognosci, si forsitan obliuiscerentur, quae audie- Script. red.  
rint, testamentum ita conditum est testamentum nuncupatum  
in scripturam redactum. Testator enim per verba ore pro-  
lata suam voluntatem in hoc casu declarauit, et exstat  
etiam ea probationis causa scriptura comprehensa.*

Testatorem testamentum nuncupatum memoriter  
debere recitare, in nulla lege est constitutum. Nec mi-  
nus praeceps requiritur, scripturam aut in recitatione  
ipsa aut post eam concipi. Nullum itaque est dubium,

hunc

3 Dissertatio iuridica, de testamento nuncupativo

hunc casum talem esse, in quo testamentum pro nuncupatio in scripturam redacto habendum. vid. HOMMEL.  
l. c. §. 17.

§. VII.

An testamentum nuncupativum implicitum sit testimoniis nuncupato in script. redactum?

Si testator in casu propositionis antecedentis, ex schedula non recitat ultimum suum elogium, sive iudici seu testibus non manifestat, quid in ea scriptum sit, sed verbis ad schedulam, quam manu tenet, relatis, ea ultimam suam voluntatem contineri, proficitur, quem voluntatem declarandi modum appellant mysticam voluntatis declarationem, non solum in eo casu, quo nihil praeterea, quam quod schedula illa suam voluntatem ultimam contineat, manifestat; sed et in casu, quo ex parte manifestat ultimam suam voluntatem per verba ore prolatas, ex parte vero se renuntiat ad schedulam, quam alibi recondidit, haec dispositio pro testamento nuncupativo in scripturam redacto haberi nequit. Ad testamentum nuncupativum enim requiritur, testatorem per verba ore prolatas suam voluntatem declarasse, et eam simul scriptura probationis causa comprehendens existare. Quum itaque in priori casu prius plane desit, in posteriori casu vero quidem per verba ore prolatas ex parte declarata sit ultima voluntas, ast tamen eam voluntatis partem, quae declarata est verbis ore prolatis, schedula, ad quam se refert testator, non contineat, in utroque casu testamentum tale pro nuncupatio in scripturam, et vel ex parte redacto, haberi nequit.

Satis nota est Dd. controversia super quaestione: an testamentum nuncupativum admittat mysticam voluntatis declarationem? Plerique affirmantur respondent hinc que testamentum nuncupativum in implicitum et explicitum dividunt, veluti IVLIVS CLARVS sententiarum Lib. 3. Q. 4. DAYHT de testim. n. 330. ibique alleg. BARTOLVS

TOLVS, BALDV, CASTRENSIS, TIRAQVELLV,  
MANTICA, VASQVEZ, MASCARDVS aliquie. LAV-  
TERBACH Coll. theor. pract. L. 28. Tit. i. §. 74. BRVN-  
NEMANN in Comment. ad l. 77. de hered. insit. BA-  
STINELLER Diss. de testam. mysticis. Vittemb. 1732. Alii  
vero negatiue respondent, veluti FABER de erroribus  
pragmat. P. 3. Dec. 59. SCHAVMBVRG in Diss. sub ti-  
tulo: singularia de testamento nuncupatiuo capita. Ien.  
1732. §. 17. Ex mea quidem sententia hoc certum est,  
schedulam, ad quam se refert testator, non esse scrip-  
tam testatoris ore nuncupatam dispositionem conrien-  
tem, sive testamentum nuncupatiuum in scripturam  
redactum tale testamentum haud esse. Ast tamen inde  
non sequitur, tale testamentum plane non esse validum,  
quum porius subsistat, vt testamentum nuncupatiuum  
simplex, idque defendo arg. l. 77. ff. de hered. insit. et  
l. 38. de condit. et demonstrat. Si enim secundum has  
leges testamentum scriptum mysticum validum est, sic  
que testatori, qui in scriptis restatur, licet, voluntatis  
suae partem per relationem ad schedulam declarare, cur  
non idem licere debeat testatori, qui nuncupatiue restau-  
tur, ego quidem perspicere nequeo. Prout itaque te-  
stamentum scriptum, vt scriptum valet, secundum dictas  
leges, licet scripture, per quam testator suam volunta-  
tem declaravit, non omnia quae testator dispositus, con-  
tineat: ita et testamentum nuncupatiuum, vt nuncupati-  
uum valet, licet testator per verba ore proleta, non  
omnia quae dispositus manifestauerit. Qui dissentient  
probare debent, testamentum tum demum vt nuncupati-  
uum valere posse, si omnia palam nuncupauit testator,  
quod nunquam probabunt. Quamdui vero hoc non pro-  
batum, inde, quod dici nequeat, palam esse pronuncia-  
ta, quae testator in schedula, ad quam se refert, scripsit,  
non sequitur, testamentum nuncupatiuum non admittre  
re mysticam voluntatis declarationem.

10      *Dissertatio iuridica, de testamento nuncupativo*

§. VIII.

*Quid subscriptio et sub-signatio testatoris et testium tantum;* Testamentum nuncupativum in scripturam redactum non manet tale; sed potius degenerat in testamentum, quod simul scriptum et nuncupativum simplex est, si scriptura testamentum continens testatoris et testium subscriptione et sub-signatione confirmatur. Quodsi vero subscriptio et sub-signatio tantum a testibus, non vero simul a testatore sit facta, testamentum manet testamentum nuncupativum in scripturam redactum. In casu priori enim testamentum incipit per subscriptionem et sub-signationem testatoris et testium esse scriptum, quoniam tum adiungunt omnia testamenti scripti essentialia. Ast, hoc non obstante, testatorem ramen per verba ore prolatam voluntatem suam declarasse, verum manet, licet iam scriptura, in quam haec verba redacta, solius probacionis causa concepta scriptura esse desinat, siveque testamentum quidem manet nuncupativum, ast non tale, quod in scripturam redactum dici potest. Sed si testes tantum subscriperunt et sub-signarunt testamentum, non vero testator, testamentum pro scripto haberi nequit, quium scriptura non degeneret in talem, per quam ipse testator suam voluntatem declarauit, hincque in casu posteriori, testamentum manet, quale erat.

§. IX.

*Quid examen testium tantum nuncupativum in scripturam redactum, si, testatore adhuc ad perpetuam rei memoriam examinatur, eorumque effata in scripturam rediguntur.* Testamentum nuncupativum simplex degenerat in testamentum testium tantum nuncupativum in scripturam redactum, si, testatore adhuc ad perpetuam rei memoriam examinatur, eorumque effata in scripturam rediguntur. Cum enim hoc testium examen ex nulla alia causa fiat, quam ut aliquando per illud probari possit testatoris oretenus exposita voluntas, eo peracto exstat

*in scripturam redacto.*

Stat testatoris verbis ore prolatis exposita voluntas scri-  
ptura comprehensa, probationis caussa.

§. X.

Si testamenti nuncupatiui in scripturam redacti praelatio *Quid prae-*  
*fit testatori illud approbanti, praesentibus testibus, ideo illud non etio hic ope-*  
*degenerat in testamentum alias speciei. Sed si testamenti scripti rentur?*  
*praelatio fit testatori praesentibus testibus, iisque illud approbat,*  
*testamentum quidem non degenerat in testamentum nuncupatiuum*  
*in scripturam redactum, ast tamen praelatio haec efficit, tale*  
*testamentum simul scriptum et nuncupatiuum simplex testamentum*  
*esse. Licet enim fiat in priori casu praelatio, ideo ta-*  
*men in saluo manent omnia testamenti nuncupatiui in*  
*scripturam redacti essentialia. In posteriori casu vero*  
*praelatio testamenti praesentibus testibus testatori, il-*  
*lad approbanti, facta, efficit quidem testamentum simul*  
*fieri nuncupatiuum, quem haec testatoris approbatio in-*  
*voluat verbis ore prolati factam declarationem suae*  
*voluntatis, ast tamen in nuncupatiuum in scripturam re-*  
*daatum ideo non degenerat, quoniam hic deest scriptu-*  
*ra, quae probationis caussa accedit, quem scriptura,*  
*quae adeit, fit et maneat post praelationem scriptura*  
*ipsum scriptum testamentum constituens.*

Perinde omnino est, siue testator antea coram testibus  
voluntatem suam oretenus ipse declareret: siue post praela-  
tionem conceptae in scriptis voluntatis ex scriptura,  
factam praelationem approbet. BOEHMER in Diss. *de*  
*testamento non praelato*, §. 6. *in fine*. Dubium itaque  
non est, ita factam praelationem efficere testamentum  
scriptum simul pro nuncupatiuo habendum esse. Quod si  
vero testamentum scriptum vitiosum, ob factam praela-  
tionem subsistat ut nuncupatiuum, itidem tamen illud

non ut nuncupatiuum in scripturam redactum, sed ut nuncupatiuum simplex subsistere, vel inde patet, quoniam nec in hoc casu scriptura talis est, in quam probacionis gratia orerentus exposta voluntas redacta. Sunt quidem qui putant, tale testamentum, licet accedat praelectio, invalidum esse, aut minimum tum demum valere posse, si clausula codicillaris, aut alia similis, veluti: *sollte dieser mein letzter Wille nicht gelten als ein schriftlich Testament, so will ich doch, dasz er als ein mündlich und ausgesprochen Testament besthebe.* accedar. vid. HOMMEL in *Diss. de scriptura eiusque necessitate in testamento nuncupativo* §. 27. seqq. MENOCHIVS de *prae-  
sumptionibus Lib. 4. Praef. 2. n. 16. seqq.* Ast, quum, qui in scriptis testari voluit, ideo nondum renunciavit iuri suo nuncupatiue testandi, et facta praelectione adiunt testamenti nuncupatiui requisita, contrarium recte defendunt HOMMEL ET MENOCHIVS *U. cc.* aliquae ab iis iam excitati, quibus LEYSERVUM in *Medit. ad ff. Spec. 353. Med. 7.* adiungo.

## §. XI.

*De testamento coeci.* *Testamentum extrajudiciale coeci semper et in omni casu est species testamenti nuncupatiui in scripturam redacti.* Coecus enim secundum famosam l. 8. C. qui test. facere poss. vel non, extrajudicitaliter tantum duplici modo testari potest, vel ira, ut verbis ore prolati voluntatem suam exponat, quo casu eam in praesentia testium in scripturam redigi, ad testamenti validitatem, secundum dictam l. 8. C. requiritur: vel ita, ut voluntatem suam ultimam alii, cui velit, ut ait Imperator, scribendam credat, quae tum in eius et testium praesentia praelegenda et ab eo approbanda est. Prout vero in primo casu testamentum coeci esse testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum, per se patet:

pater: ita et idem obtinet in casu secundo. Licer enim coecus alicui ante actum testandi, voluntatem suam scribendam credar, dici tamen nequit, per hanc ipsam scripturam coecum, licet postea producatur et testium subscriptio et subsignatio sequatur, voluntatem suam declarasse, quoniam legere non potest eam, sive in eo magna differentia sit, inter eos, qui oculorum usum habent, et coecos, quod priores quidem per ipsam scripturam etiam ab aliis scriptam, non vero posteriores voluntatem suam declarare possint. Quae quum ita sint, testaror coecus in casu secundo, tum demum voluntatem suam declarat, si in praesentia testium huius scripturae praelectione facta, declarat ex animi sui, quae lecta sunt, disposuisse sententia. Haec declaratio voluntatis itaque quum inuoluat testamentum nuncupativum, et in hoc casu, testamentum coeci est nuncupativum, ast tale, quod in scripturam redactum: quoniam hic adeo scriptura voluntatem coeci continens, quae (per demonstrata) scriptum testamentum non constituit, sive non nisi probationis causa accedit. Semper itaque et in omni casu testamentum coeci extrajudiciale est testamentum nuncupativum in scripturam redactum.

Solet controverti inter Dd. an testamentum coeci sit pro nuncupatio habendum, nec ne? Plerique defendunt esse illud testamentum ex scripto et nuncupatio mixtum, veluti TITIVS in Iure priuato, L. 7. Cap. 3. §. 25. BOEHMER de testam. non praelecto, §. 6. aliique. Sunt et qui plane negant esse testamentum nuncupativum. Posterior sententia vero quum manifesto absurdasit, prior tandem responsum meretur. Qui eam defendunt, ita subducunt suas rationes. Omnia aiunt adesse testamenti scripti requisita, quum notarius vel testis octauus testamentum

mentum loco testatoris subscribat et subsignet, idemque faciant reliqui septem testes. Recitationem seu praelectionem vero coram testibus faciendam indicare, hoc testamentum simul participare de testamento nuncupativo. Ast scripturam adesse voluntatem testatoris continentem, eamque subscriptam et subsignatam esse, non sufficit ad testamentum scriptum, sed et praeterea requiritur, testatorem, mediante ea, suam voluntatem declarasse, quod de coeco dici nequit. Immo, si admitti posset, coecum per scripturam subscriptam et subsignatam declarasse suam voluntatem, quum praeterea etiam per approbationem post factam praelectionem via voce declarauerit suam voluntatem, non pro mixto ex scripto et nuncupativo, sed potius pro testamento, quod scriptum et nuncupativum simul est, habendum esset coeci testamentum. Ex mea itaque sententia recte **LVDOVICI IN DOCTRINA**, ff. Lib. 28. Tit. 1. §. 13. negat, coecum in scriptis restari posse, et nuncupative id eum facere debere contendit. Et sane iniurius est **LEYSERVS IN LVDOVICI**, quando in *Medit. ad ff. Spec. 353. Med. 1. et 2.* scribit, eum priora verba l. 8. C. qui *testam. fac. possunt, vel non*, tantum iustificare contentum, reliqua legerem neglexisse. Quis vñquam sibi persuadere potest, talem vi-  
rum, qualis **LVDOVICI** fuit, tam famosam legem, qualis est dicta lex, non totam legisse? Legit omnino eam, ut **LEYSERVS**, totam, ast et recte intellexit eam, quum **LEYSERVS** non recte intellexerit. Ipsi enim verba in hoc textu obvia: *at cum humana fragilitas etc. iam euincunt, Imperatorem hic non loqui de tali scriptura, quae testamentum scriptum constituit.* Licet vero certo certius persuasum mihi habeam, testamentum coeci nuncquam scriptum testamentum esse posse, tamen, ne quid dissimilem, non possum non, quin moneam, de eo dubitari posse, an semper sit nuncupativum testamentum in scripturam redactum. Licet enim, stante communi op-

opinione, in casu, quo coecus oretenus ipse exponit suam voluntatem, eam in scripturam redigi secundum l. 8. C. necesse esse, nullum supersit dubium, et ego hic a communi hac opinione recedere nolim, eam tamen varis dubiis obnoxiam esse, negare nequo. Exponam ea paucis, et lectori diuidicandum relinquo, quatenus attentionem mereantur. Verba l. 8. C. qui test. fac. possunt ad quorum sensum hic redeunt omnia, sunt haec: *qui-  
bus omnibus ordine peroratis uno eodemque loco et tempo-  
re, sed et tabularii manu conscriptis sub obtutis septem te-  
stium, et corundem testium manu subscriptis, abinde con-  
signatis tam ab ipsis testibus, quam a tabulario, plenum  
obtinebit robur testantis arbitrium.* Loquitur hic Imper-  
ator IVSTINVS de testamento coeci, et determinat  
formam huius testamenti. Licer vero, postquam in an-  
tecedentibus verbis reliqua formalia hic oblueranda re-  
censuerat, addat verba modo excitata, et in iis consti-  
tuere videatur, nuncupationem testatoris manu tabularii  
conscripti oportere, tumque subscriptionem et subsigna-  
tionem accedere debere: non omni tamen caret dubio,  
hanc esse veram Imperatoris mentem. Rationes, quae  
me mouent ad ita sentiendum, sunt hae: 1) nulla potest  
allegari ratio, cur, quum visu non destituti hominis  
nuncupatiuum testamentum valeat sine scriptura, idem  
illud de coeci nuncupatio testamento valere non debeat.  
Voluntas coeci enim, si palam nuncupata est, aequa  
certa est sine scriptura, ac eius, qui coecus non est.  
2) Ex ipso contextu totius legis hoc probari posse vide-  
tur. Imperator in verbis antecedentibus recenset sigilla-  
tim et punctatim singula momenta, ad quae in coeci te-  
stamento respiciendum est, in quibus de scriptura nec  
vola nec vestigium occurrit. Postquam vero determina-  
verat, quae ad validitatem testamenti coeci requiruntur,  
addit verba excitata, et in iis omnino scripturae facit  
mentionem. Ast quaeritur, quomodo? An ira, ut  
scriptu-

scriptura sit nouum requisitum? An vero ita, quod fieri possit in scripturam redigi testamentum nuncupatiuum coeci, et hoc fieri omnino consultum sit? Ego posterius defendo, ideo, quoniam iam recensitis et enumeratis necessariis requisitis, quae de scriptura in textu nostro obueniunt, adiiciuntur demum, ut tale quid, quod effere possit, ut plenum obtineat robur testantis arbitrium, quae verba indicare videntur, sine scriptura quidem subsistere posse testamentum coeci nuncupatiuum, alt tamen, ut plenum obtineat robur hoc testamentum, scripturam accedere debere. 3) Si etiam secundum hanc IUSTINI constitutionem in l. 8. C. qui test. facere poss. obuiam scriptura ad testamentum coeci essentiam pertineret, seu, ut loquitur HUBERVS in Prael. ad ff. Tit. de fide instrum. §. 28. et Digress. P. II. L. II. C. XX. eius accidentis inseparabile esset, tamen per l. 24. C. de testam. et praelatum l. 26. cod. esset mutata; quum, si IUSTINVS praecipserit coeci testamentum nuncupatiuum necessario esse in scripturam redigendum, hoc omnino ad formales observationes pertineret, quas in dicta l. 26. C. de testam. amputauit IUSTINIANVS. Licit vero haec lex sit generalis, et per generales leges ius speciale et singulare muratum non conferri arg. l. 26. ff. de LL. canter schola, haec tamen regula tantum in dubio obtinet, hic vero mutatio est manifesta. 4) Addo tandem et hoc, quod, licet Ord. MAXIMILIANI l. de Notariis Tit. von Testamenten, §. 9. de testamento coeci concepta, iisdem fere verbis repeat d. l. 8. C. tamen verba, quae agunt de redactione in scripturam supra excitata, non sunt repetita, sed potius plane omissa, quod miror omnino. Videtur itaque, licet secundum Ius Romanum necesse esset, scripturam accedere, si testator coecus absque omni scripturae subsidio ultimam suam voluntatem palam edixit, in Germania tamen id praecise non requiri. Sed prout dixi, dubia haec mihi enata

enata tantum proferre volui, a communi sententia vero ideo recedere nondum audeo.

§. XII.

*Testamenta extrajudicialia τῶν αὐτολόγων seu eorum, De testamento qui nec scribere nec legere, vel, quod sufficit, ab aliis scripta letis αὐτολόγεσse non possunt, semper et in omni casu sunt testamenta nuncupatiora in scripturam redacta. Quicquid enim valet de testamento coeci, valet etiam de testamentis αὐτολόγων.*

Principium ad quod hic prouoco, quodque allegasse sufficit, ad euincendam propositionis veritatem, ad axiomata quidem referri nequit, ast tamen sine vteriori demonstratione eo hic vtor. Quamuis enim olim a multis contrarium sit defensum, nescio tamen an is, qui hodie, postquam BOEHMERS in Diss. *de testamento non praelecto s. 10. seqq.* luculentiter fatis veritatem eius euicit, de eo serio dubitare vellet, mereatur responcionem. Nolo itaque hic repetere ab aliis iam centies dicta, et demonstrare, quae ab aliis iam demonstrata sunt.

§. XIII.

*Testamentum iudiciale nuncupativum, licet vix subsistat, De testamento in scripturam redigatur, illud tamen semper et in omni casu mento iudiciale nuncupativum in scripturam redactum esse, defendi ciali nuncupatiora nequit. Nulla enim exstat lex, quae testamentum iudiciale nuncupativum praeceps in scripturam redigendum esse praecepit. Quod vero attinet actus naturam, licet ex ea sequatur, vix alter de voluntate testatoris post mortem constare posse, quam per registraturam iudicalem, quum iudex tot testatorum voluntates oretenus expositas memoria comprehendere nequeat: ex ea tamen plane impossibile esse aliter, quam per registraturam, de ea constare posse, probari nequit.*

C

Pro-

Prouocat quidem BERLICHIVS P. I. Dec. 85. n. 12. qui contrarium defendit, ad l. 19. C. de testam. dum ait: quod autem eiusmodi testamentum coram iudice et eius effessoribus factum de necessitate per actuarium publicum in scripturam redigi et ad acta referri debeat, nec aliter quam per publicam scripturam probari possit, experientia testatur per l. 19. C. de testamentis. At secundum l. 19. C. de testam. ad quam prouocat BERLICHIVS, sufficit ultimae voluntatis publicatio coram actis facta, hinc scripturam necessariam esse, in dicta lege non est sanctum. Conf. STRYK. de Caut. Testam. cap. 7. §. 10.

## §. XIV.

*Ex dictis di-  
visio quae-  
dam test.  
nunc. in  
script. reda-  
cti deduci-  
tur.*

Hi sunt casus, si non omnes, tamen praecipui, in quibus quaestio moueri potest, an testamentum pro nuncupatiuo in scripturam redacto habendum sit, vel non? Et cum ex iis, quae §. 11. et 12. dicta sunt, patet, dari testamenta nuncupatiua, quae sine scriptura non subsistunt, nec tamen omnia testamenta nuncupatiua in scripturam redacta talia sunt; non possum non, quin admittam diuisionem testamenti nuncupatiui in scripturam redacti, in tale, cui scriptura accedit ex iuris necessitate, et tale cui, licet accedat scriptura, ex iuris necessitate tamen non accedit ea. Ad primam classem pertinent testamenta coecorum et *ἀναλφαβήτων*. Reliqua vero ad secundam classem referri debent. Quod haec diuisio, seu, si mauis, distinctio vsu pratico non sit substituta, ex sequentibus patebit.

CAPUT

CAPVT II.

DE REQVISITIS AD VALIDITATEM  
TESTAMENTI NVNCVPATIVI IN SCRIPTU-  
RAM REDACTI NECESSARIIS.

§. XV.

**Q**uum in testamento nuncupatiuo in scripturam redacto *Thema hu-*  
*a se inuicem diuersa sint, ipsa dispositio testatoris ius capitio*  
*nuncupatiue facta, et scriptura quae illam dispositionem determina-*  
*continet; ante omnia hic monendum est, alia esse requi-*  
*sita ad validitatem ipsius dispositionis, alia ad validitatem*  
*scripturae, quae consistit in vi probandi eius, necessa-*  
*ria. Coniunctim tamen in hoc capite, tam ipsius dispo-*  
*sitionis, quam etiam scripturae validitas explicari*  
*poteat.*

§. XVI.

*Si testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum tale De validitate*  
*est, cui non ex iuris necessitate accedit scriptura, toties ipsa dispo-te ipsius di-*  
*spositio va ida est, quoties adjunt requiata ad validitatem testamen-spositionis in*  
*ti nuncupatiui in genere necessaria. In hoc casu enim scri-teſt. nunc.*  
*ptura plane abesse potest. At enim vero, id quod plane non ex iuris*  
*necessitate in scripturam redacto, in*  
*ab actu abesse potest, si vitiose adest, non vitiat actum.*

§. XVII.

Hinc fluit:

- 1) *Testamentum nuncupatiuum in scripturam quidem, aſt tamen in specie in*  
*non ex iuris necessitate, redactum, quoad ipsam dispositionem va-certis caſi-*  
*lere, ſive illud ſcribens ſit persona publica, veluti notarius, ſive buſ.*  
*non; ſive scriptura ipsa fit vitioſa, ſive non; modo adjint re-*  
*quijita ad validitatem testamenti nuncupatiui in genere neceſ-*  
*faria.*

Pone itaque notarium in instrumento super testamento nuncupativo confessio, loci, ubi testamentum ore prolatum, nullam fecisse mentionem, nihilominus tamen validum testamentum, ut recte iudicarunt ICti Francofurtenses apud STRYKIVM de Caut. Testam. Cap. 15. §. 46.

II) Testamentum tale de quo modo dictum validum esse, licet non sit facta praelectione, ut et, siue scriptura sit subscripta et subsignata a testibus, siue non.

Obstat videtur Ord. MAXIMIL. de Not. Tit. von Testamenten, §. 5. ibi: Weiter so ist auch in einem jeden Testamente, ob es gleich nuncupativum als ohne Schrift gemacht wäre, nöthig, dass alle Handlung, so zu solches Testaments Auffrichtung ergangen, aufgeschrieben wären, von dem Testirer und Zeugen, ehe sie dann von einander scheiden, vorgelesen werden, ubi verbum: nöthig praelectionem necessariam esse, euincere videtur. Dissentientes ideo inter lese Dd. aliquique, veluti MANZIUS de Testam. valid. Tit. 4. Quaest. 8. BE SOLDVS P. 3. Conf. 126. num. 4. praelectionem necessariam esse defendant; alii vero, veluti WERNHER Obs. For. P. 10. Obs. 318. CARPOV. P. 3. Conf. 3. Def. 35. negant eam necessariam esse. Licet vero ex verbis textus satis pateat, praelectionem esse necessariam, Imperator tamen non determinat, ad quem effectum praelectione necessaria fit, an ad eum, ut ipsum testamentum subsistat, an vero ad eum tantum, ut scriptura testamentum nuncupativum continens vim probandi accipiat. Posterior veritati consentaneum esse defendendo, quum nulla solida allegari possit ratio, cur etiam ad illum effectum, ut ipsa dispositio subsistat, praelectione opus sit. Et ipsa ratio, ob quam dissentientes contrarium defendant, quoniam nimis, si testamentum ab aliquo tertio, qui testamentum non scripsit, pralegi non deberet, in scribentis arbitrio esset scribere quicquid vellet, tantum euincit ad eum effectum praelectione opus esse, ut scriptura ipsa probet.

III)

III) Testamentum nuncupatiuum iudiciale, quoad ipsam dispositionem valere, licet registratura, quae accessit, sit quam maxime vitiosa, si ex personarum iudicialium depositionibus de voluntate testatoris constat.

Recte proinde teste SCHAVMVEVRGO in diff. cit. §. XIX. ICri Ienenses testamentum nuncupatiuum coram deputatis a iudice domi confectum, et in scripturam, tam infelici tamen successu, redactum, ut bina protocolla, quae in medium proferebantur, quam maxime ab iniunctum distarent, aliamque voluntatem, uno tempore ore prolatam, loquerentur, quum tamen ex iuratis eorum, qui ad actum ipsum delegati fuerant, dispositionibus, una solum eaque constans defuncti voluntas eluceret, pro valido declararunt.

§. XVIII.

Ut scriptura testamentum nuncupatiuum, cui scriptura non De validitate ex iuris necessitate accedit, continens, pro valida, id est, vi te scriptu- probandi praedita, haberi posse, varia requiruntur. Differae, si testi- runt, prout scriptura ista, vel est scriptura ante actu testan- nunc non ex di, memoriae testatoris subleuandae causa, conscripta, vel iuris necessi- scriptura in ipso actu testandi concepta, vel scriptura ex testimoniis depositione, viro testatore ad perpetuam rei memoriam post scripturam est standi actu facta, enata: ita ut, in primo casu scriptura tum denum probet, si constet scripturam, quae profertur, esse illam ipsam, ex qua testator suam ultimam voluntatem recitauit: in secundo casu tum denum, si a) quando registratura iudicialis est, ea manita est omnibus iis, quae formam scripturae publicae ef- ficiunt; b) quando instrumentum notarii est, praelectio nuncu- patae voluntatis facta in actu testandi testator et testibus, et ad- fuit requisita ad validum instrumentum notarii necessaria; c) quando vero a persona priuata concepta est, testimoniis iurata de- positione accessit: in casu tertio autem scriptura per se probet sine

*alio quodam adminiculo.* In casu primo enim, nisi adsit dictum requisitum, certitudo manifesto deest, cum facile similis scheda posset corrumpi et falsari. In secundo casu vero, quando scriptura est registratura judicialis, quum eam, si debitibus requisitis instructa, fidem facere per se pateat, nihil praeterea requiritur quidem: ast quando scriptura instrumentum notarii est, prout illud legitimum esse debere, itidem per se patet, ita praeterea in hoc casu praelectionem nuncupatae a testatore voluntatis factam esse exigit *Ord. MAXIMILIANI de Notariis. Tit. von Testamenten, §. 5.* Quando vero scriptura priuata est, quum illa per se non probet, accedit necesse est, ut vim probandi accipiat, iurata testium depositio, quae, si adest, efficit, instrumentum vim publici instrumenti accipere, siveque probare. Tandem in casu tertio scripturam per se probare, inde patet, quod testium testimonio publicato, scriptura haec pro instrumento publico habeatur.

Prout in ipsa determinatione et demonstratione huius propositionis tres casus a se inuicem sunt distincti: ita et in eius illustratione, hi casus iterum a se inuicem sunt distinguendi. Quod itaque attinet primum casum, ut identitatis schedulae, quae profertur, cum ea, quam testator in actu testandi ad manus habuit, probatio fieri possit, in ipso testandi actu, eadem cautelae, mutatis mutandis, sunt adhibendae, quas Dd. commendare solent in testamento implicito, veluti: ut testator a tergo huius scripturae per norarium scribi faciat testes, annum et diem; vel, quod consultius est, ut testes ipsimet se subscribant, et sua sigilla apponant, ac testentur sua subscriptione, testatorem dixisse, ea scriptura contineri suam ultimam voluntatem, quam oretenus exposuit. Quod casum secundum attinet, praelectionem tum quidem, si scriptu-

scriptura instrumentum notarii est, siveque testamentum exrauidicitaliter conditum, adhibito eo fine notario, ut super actu testandi instrumentum conficiat, ad validitatem scripturae requireo, ast, si alia scriptura est, non. Nam praelectionem lex, ad quam in ipsa demonstracione prouoco, tantum iniungit notario. Tertium subscriptionis et sub-signationis vero nullam feci mentionem, quum, prout, si scriptura est registratura iudicialis, seu instrumentum notarii, accedere non possit: ita, si scriptura est priuata, ea, licet praeuia praelectione facta sit, tamen vim plene probandi non opererur, nisi accedit iurata testium depositio. Quod tandem attinet tertium easum, hoc vnicum illustrationis caussa monendum, me supponere examen testium, viuo adhuc testatore, ast tamen post actum testandi, factum esse. Hinc pater scripturam, quea ex hoc examine oritur, differre a scriptura, quea continet iuramat testium depositionem, quea scripturae priuatae testamentum nuncupatiuum continebit, vim probandi dat, si in casu secundo scriptura testamentum nuncupatiuum continens, in ipso actu testandi concepta, priuata scriptura est. Ceterum, postquam haec tenus de validitate testamenti nuncupatiui, cui scriptura quidem, ast non ex iuri necessitate, accedit, actum, iam etiam de altera specie agendum erit.

### §. XIX.

*Si testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum tale De validitate, cui ex iuri necessitate accedit scriptura, plura ad validitate ipsius dictum ipsius dispositionis requiruntur, quam ea, quae ad validi-  
positionis, si tam testam. est  
prout ipsa scriptura cum ad validitatem necessaria est, ita et nunc. ex iuri necessita-  
cam talem esse, qualem esse leges requirunt, necesse est. Id quod te in script.  
redactum in  
per se patet.*

### §. XX.

## §. XX.

Hinc fluit:

*in specie in casibus quibusdam particularibus, quoad extrajudicia-*  
*lia;* I) ad solenitatem testamenti nuncupativi extrajudicialis coeci validitatem requiri, quod attinet scripturam, in hoc testamento illam adesse, sive si in acta testandi ex ore testatoris excepta, sive ab eo oblata; et praeterea praelectionem et subscriptionem cum subsignatione tam septem testium, quam etiam notarii, seu oculai, testis, loco testatoris, accedere. l. 8. C. qui testam. fac. poss. vel non.

II) idem valere de litterarum imperiti testamento nuncupativo extrajudiciali solenni. arg. d. l. 8. C.

Quod secundum d. l. 8. C. in casu, quo testator qui coecus est, ob alio scriptam dispositionem offert testibus, praelectio absolute necessaria sit, omni plane careret dubio, quum adhuc expressa legis verba. An vero, et in eo casu, quo talem scripturam non offert, praelectio absolute necessaria sit, extra omnem dubitationis aleam non est positum; quum desint expressa legis verba. Lex enim expressis verbis in hoc casu tantum praecepit in scripturam redactionem et subscriptionem. Ast, quum nullum speciale haberet usum, in hoc casu in scripturam redigi testamentum, nisi praelectio sequeretur, communis opinio, et in eo praelectionem necessariam esse, defendi potest.

## §. XXI.

*quoad iudicialiter testatur, quando voluntatem suam sine scripturae ope retentus recitat coram iudice, eam in scripturam redigi et praelectionem fieri, ad validitatem ipsius dispositionis absolute non requiritur.* Ast, si offert scripturam iam ante conceptam ab alio, tam quidem, si huius scripturae praelectio iam ante coram notario et testibus legitime facta, praelectio itidem absolute necessaria non est; in casu opposito vero eam fieri necesse est. Deest lex positiva expressa.

expresse determinans, in quibus casibus tum, si coecus vel litterarum imperitus nuncupatiue iudicialiter testatur, in scripturam redactio et praelectione in iudicio fieri debeant. Hinc tum demum, si aliter de testatoris voluntate constare nequit, aut vtrumque, aut vnum eorum adesse, necesse est. At enim vero, in primo casu propositionis sine scriptura et praelectione certa esse potest testatoris voluntas, et idem valet in secundo casu quoad praelectionem, si iam antea, dicto modo, praelectione facta est, ast hac cessante, non idem valet. Coecus et litterarum imperitus enim nescit, quid contineat scriptura, quam offert, sine facta praelectione; hincque, si non ante legitime facta, in iudicio demum est facienda.

De quaestione hic decisâ conferri merentur WERNHER  
Obs. for. P. 4. Obs. 64. in suppl. STRYK de Caut. Testam.  
Cap. 13. §. 21. HOEHMER de testamento non praelecto  
§. 45. seqq. licet non omnino consentiant.

### §. XXII.

*Ad scripturæ, in quam testamentum nuncupatiuum ex De scriptu-  
iuris necessitate redactum, validitatem, sive vim probandi, si testa- rae validi-  
mentum est solenne extrajudiciale testamentum, praeter requisita ad tate, quae in  
validitatem ipsius dispositionis necessaria, adhuc requiritur, accedere test. nunc. in  
publicationem. Si vero testamentum est iudiciale testamentum, alia script. ex in-  
requisita adesse non est necesse. Licet enim positis his requisitis, ris necessita-  
te redactum  
si testamentum est solenne testamentum extra iudicium  
conditum, scriptura testamentum continens a septem te-  
stibus, et notario, vel eius loco, octauo teste post prae-  
viam praelectionem sit subscripta et subsignata: tamen,  
quum priuata scriptura sit, sine publicatione vim pro-  
bandi non habet, qua facta, pro publico instrumento ha-  
betur, sive vim probandi accipit. Quando vero testa-*

D  
mentum

mentum iudiciale testamentum est, positis his requisitis scriptura illud continens vel registratura iudicialis est, vel per instrumentum notarii seu registraturam iudiciale scriptura haec priuatim concepta iam confirmata est, hincque semper vim probandi iam habet.

§. XXIII.

*An testam. nunc. in script. redactum valit. dum non manet, si scripturae testamentum continentis cancellatio, incisio vel inductio ab ipso testatore consulto facta, etiam si priuatim, nullis adhibitis testibus, sit facta. Prout haec propositio in casu, quo testamentum nuncupativum in scripturam redactum tale est, cui ex iuri necessitate scriptura accedit, omni dubio caret: ita etiam in casu, quo tale non est, veritas eius inde pater, quod testator, dum in scripturam redigi voluit suam dispositionem oretenus factam probationis causa, satis declarauerit, se velle voluntatem suam ex hoc instrumento esse probandam, nec vnicce confidere testimonio testium, quibus manifestauit suam voluntatem. Si itaque hoc instrumentum ex post cassar consulto, sique tollit probandi medium, licet aliud supersir, tamen ex nulla alia causa hoc facere potuit, quam ex ea, quod noluerit amplius subsistere suam ultimam voluntatem orerenus declararam.*

Et hic iterum ex parte consentiunt, ex parte dissentunt Dd., vt solent, expressa lege deficiente. Consentunt MANTICA de coniect. vlt. volunt. l. 12. c. 1. n. 31. GRASS recept. sent. §. testam. qu. 85. n. 2. BACHOV ad TREVTL. v. 2. Disp. 10. Th. 7. Lit. b. VINNIUS ad §. 2. I. quib. mod. test. infirmetur. num. 3. Dissentunt PECK de testam. coniug. l. 1. c. 46. in fin. COLER. P. 2. Dec. 250. n. 6. BRUNNEMANN ad l. 30. C. de testam. vers. an idem valeat in nuncupatio.

CAP.

*in scripturam redacto.*

27

CAP. III.

DE SINGVLARIBVS EFFECTIBVS TE-  
STAMENTI NVNCUPATIVI IN SCRIPTV-  
RAM REDACTI.

§. XXIV.

Quum testamentum nuncupatiuum in scripturam redactum sit species quaedam testamenti nuncupatiui, *Thema hu-*  
*dantur, praeter effectus testamentis nuncupatiui com-* *determina-*  
*munes, hic non repetendos, quidam, qui ita proprii sunt*  
*testamento nuncupatiuo in scripturam redacto, vt testa-*  
*mentum nuncupatiuum, tum demum, si in scripturam*  
*redactum, eos producat, quos singulares appello. De*  
*his itaque, quum non plane desint, licet sint pauci, in*  
*hoc capite ex instituto agendum erit.*

§. XXV.

*Singularis 1) effectus testamenti nuncupatiui in scripturam re-* *Ipsi effectus*  
*dacti est, quod ultima voluntas ita nuncupata, triplici modo singulares*  
*probari posse, et quidem 1) per testium iuratam depositionem, recensentur,*  
*de iis quae ex ore testatoris audiuerunt; 2) per scripturam, quae quoad pro-*  
*testamentum nuncupatiuum continet; 3) per aliorum testium iu-*  
*ratam depositionem, qui instrumentum viderint, legerint & bene*  
*perceperint, si instrumentum amissum et testes mortui fuerint, ex-*  
*cepto casu, de quo §. 9. dictum, in quo non nisi duplex pro-*  
*bandi modus, nimurum secundus et tertius, locum habet. Quod si*  
*vero oriretur colligo probationum, semper testium fides su-*  
*perat fidem scripturae. Prout per se paret in regula, dictum*  
*triplicem probandi modum locum habere, ita casum*  
*§. 9. excipiendum esse, et in eo primum probandi mo-*  
*dum locum habere non posse, inde elucescit, quod, si*

D 2

testes

testes ad perpetuam rei memoriam sunt examinati, scriptura, in quam testamentum redactum, iam continet iuramat testium depositionem de eo, quod ex ore testatoris audiuerunt. Quod vero in collisione probationis testium fides supererat scripturae fidem, inde patet, quod quicquid scriptum est, se referat ad ea, quae ore prius protulit testator, siveque fidem diutius habere nequeat scriptum super ore prolata voluntate testimonium, quam de alia voluntate non potest contrarium proferri testimonium.

Quod attinet primum et tertium probandi modum, duorum testium testimonium omnino sufficit, quum, licet solemnitatis gratia septem testes adesse debeant, duo tamen sufficient ad probationem. CARPZO V. P. 3. C. 3. Def. 4i. Ceterum, quoad collisionem probationum, notandum est, illam locum habere non posse, nisi quoad primum et secundum probandi modum inter se, aut etiam quoad tertium et primum inter se. Quoad tertium et secundum probandi modum inter se vero collisionem oriri, impossibile est, quoniam, si secundus locum habet, exstat scriptura, tertius vero supponit eam esse amissam. In utroque collisionis casu possibili vero, testium fides superat fidem scripturae, prout ex demonstratione, quae generalis est, patet. Si itaque primus et secundus probandi modus colliduntur inter se, primus vincit; qui et tum vincit, si cum tertio colliditur. Testes enim in tertio probandi modo non sunt testamentiarii testes, siveque non deponunt de voluntate oretenus sibi exposita, sed de scripturae, quae non amplius exstat, contentis. Sicut vero scripturae ipsius, si exstaret, fides non vinceret fidem testium testamentariorum; ita multo minus testium, qui de eius contentis depnunt, fides superat fidem testium testamentariorum.

Conf.

CONF. SCHAVMBVRG. diff. cit. §. 20. RICHTER P. i.  
Dec. 32. n. 22. MENOCHIVS de arbitrariis iudicium qua-  
tionibus L. 2. Cuf. 105. n. 31.

§. XXVI.

Singularis II) testamenti nuncupatiui in scripturam re- quoad reme-  
daci effectus est, quod locum habeat remedium *l. fin. C. de diuim l. fin. C.*  
*Edicto D. Hadriani toll.* siue scriptura testamentum nuncupa- de Edicto  
tium continens sit publica, siue sit priuata, modo vi proban- *D. Hadriani*  
*di iam sit instructa, et ex ea nullum vitium visibile appareat.* tollendo;

Quoties heres testamentarius iudici offert testamen-  
tum, quod in prima figura sine omni vituperatione ap-  
paret, hoc est, ut practici loquuntur, virtus visibili est  
destitutum, toties locum habet per *l. fin. C. de Edict. D. Hadriani toll.* remedium huius legis. Licet itaque con-  
cederem, IVSTINIANVM hic loqui tantum de testamento  
scripto, ratio huius legis tamen nulla alia esse potest,  
quam haec, quod, si non adest vitium visibile, for-  
tissima adsit praesumtio, ad heredem in testamento  
scripto institutum potius, quam ad heredem ab intestato  
pertinere hereditatem. Ast haec ratio locum habet  
itidem, si, licet testamentum non sit scriptum, tale ta-  
men nuncupatiuum testamentum est, quod in scriptu-  
ram redactum est, modo scriptura hoc testamentum  
nuncupatiuum continens talis sit, quae iam vi pro-  
bandi est instructa, et ex ea nullum vitium visibile ap-  
pareat, ita ut tum perinde sit, siue sit publica, siue pri-  
vata. Vbi vero eadem est legis ratio, ibi etiam eandem  
locum habere legis dispositionem, noto notius est.

In controuersia satis nota de applicatione remedii *l. fin. C. de Edicto D. Hadriani toll.* ad testamenta nuncupatiua  
in scripturam redacta, omnia eo redeunt: qualis esse de-

beat scriptura, ut hoc remedium locum habere possit. Alii applicationem admittunt, si scriptura est publica, non vero si est priuata; alii vero et scripturam priuatam non plane reiciunt. Varias et diueras sententias legere qui cupit, adeat STRYKVM de inuestigandis actionibus *Seet. 2. Membr. 2. §. 1.* LYNCKERVM in monitis ad hunc locum. BOEHMERVM de actionibus *S. 2. Cap. 3. §. 6.* ab iisque allegatos MENOCHIVM, CARPOZIVM, RICHTERVM. Tetigit etiam hanc controversiam IOAN. PETRVS de SPRECKELSEN in Diss. de remedio *I. fin. C. de Editio D. Hadr. tollendo Cap. 3. Seet. 1. §. 1. seqq. Gottingae* 1748. edita. Ex mea sententia, ea scripture testamentum nuncupatiuum continentis qualitas, quod sit publica, vel priuata, hic non est attendenda: sed potius omnia eo redeunt, an iam sit vi probandi instrueta, vel non. Prius de publica scripture quidem semper valet; ast de priuata non, cum accedere debeat iurata testium depositio, ut hanc vim accipiat. Si itaque scripture esset priuata, licet a septem testibus sit subscripta, tamen hoc remedium locum non haberet. Ast, si hi testes iam essent iurato examinati, non video cum STRYKIO l. c. cur minoris auctoritatis sit, quod iudex ex ore iuratorum testium actis publicis inserit, quam quod notarius ex ore testatoris excepit et conscribit. Quae quum ita sint, licet nonnunquam priuata scripture non sufficiat, hoc tamen inde non oritur, quod priuata sit, sed potius inde venit, quod nondum sit vi probandi instrueta, qua adhuc deficiente, casus nondum est similis casui, quo testamentum scriptum ab herede exhibetur.

### §. XXVII.

*quoad id, quod scribens sibi suiue adscriptis.* Singularis III<sup>a</sup> testamenti nuncupatiui in scripturam redacti effectus est, quod, si scribebis testamentum sibi met ipsi vel suis aliiquid in testamento adscripterit, id accipiat, cui adscriptum, et pro non scripto non sit habendum. Licet scripture adsit in hoc testamento, ideo

ideo tamen scriptum testamentum non est; hinc, quae in testamento scripto pro non scriptis habentur, in hoc testamento itidem pro non scriptis haberri nequeunt, nisi quatenus eadem obtinet ratio. Ast ratio, cur, quae quis sibi met ipsi vel suis adscripsit, pro non scriptis haberideant in testamento scripto, est fraudis et falsitatis suspicio, quae in testamento nuncupatiuo in scripturam redacto cessat plane. Aut enim praelectio facta est, aut non. In priori casu suspicionem cessare per se patet. In posteriori casu vero ii, quorum auribus concredita est ultima voluntas, sciunt, an testator ita disposuerit, vel non; hincque et in posteriori casu cessat omnis suspicio, quum horum testimonium tollat omne dubium, ita ut, si adserunt id, certum sit, testatorem ita disposuisse, si negant, pro certo contrarium habeatur (§. 24.).

Accedit, quod per l. 2. C. de his qui sibi adscripsit in testam., valeat, quod quis sibi suisue adscripsit, si testator voluntate sua id scriptum esse testatur. Nonne vero in nuncupatiuo testamento id semper testator testatur, licet non per subscriptionem, tamen per verba ore prolatas, quae audiunt, coram quibus testatur? Consentient HOMMEL in diff. cit. §. 36. SICHARDVS ad L. 22. C. de testam. RICHTER de testam. n. 10. p. 389. Sed et ne quid dissimilem, sunt qui dissentiant, veluti BRVNNE-MANN ad l. 22. C. de testam. CARPLOV. P. 3. C. 3. Def. 9. num. 6. HARTMANN PISTOR. Obs. 1. n. 47. MODEST. PISTOR. Conf. 284.

### §. XXVIII.

Haec sufficient de testamento nuncupatiuo in scri- *Concluso, et*  
pturam redacto, quod, si priuatum seu extraiudiciale est, de codicillis  
sive solenne, sive minus solenne sit, perinde est, vnde et nuncupati-  
distinctio inter solennia et minus solennia testamenta est *vis in scri-*  
*negle- pturam re-*  
*dactis.*

neglecta, nisi quod in §. 20. et 22. testamentum solle  
lenne supponatur. Possem iam de codicillis nuncupatiis in scripturam redactis quaedam addere, nisi,  
quae dicta sunt de testamentis, ad eos facile applicari  
possent. Quae enim Cap. I. de casibus, in quibus te  
stamentum nuncupatiuum pro in scripturam redacto ha  
bendum sit, vel non, disputata sunt, de codicillis nuncupatiis itidem simpliciter valent. Quatenus porro  
requisita ad validitatem testamenti nuncupatiui in scri  
pturam redacti necessaria, in Cap. II. exposita, itidem  
sunt requisita ad validitatem codicillorum nuncupatiuo  
rum in scripturam redactorum necessaria, facile determi  
nari potest, ex iis, in quo testamenta et codicilli in ge  
nere differunt; quo facto apparebit, non nisi quoad te  
stium necessitatem et numerum, hic quandam locum  
habere differentiam. Quod denique attinet singulares ef  
fectus testamenti nuncupatiui in scripturam redacti, quos  
sistit Cap. III. primum et tertium effectum, de quibus  
§. 25. et 27. actum, etiam quoad codicillos nuncupati  
vos in scripturam redactos locum habere, du  
bio caret.

T A N T V M.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
**RESPONDENTI**  
S. P. D.  
**P R A E S E S.**

**V**erba nuncupata in scripturam redigi, non solum tum, si testator utrumque hunc voluntatem declarandi modum coniungit, sive nuncupatiuum testamentum in scripturam redigi curat, sua non destituitur utilitate; sed et, in aliis negotiis humanis, non semper superficuum est, quae dicta sunt, scribi. Et ego itaque, licet iam per verba ore prolata laudaverim, cum mihi significares TE non sine publico eruditionis specimine Musis nostris valedicare velle, hoc *TVM* propositum, idem etiam verbis in scripturam redactis publice depraedico. Quam vero non solum, quae iam oretenus exposta sunt, per scripta verba repetere liceat; sed et, quae nondum dicta sunt, scribi possint, addo iam simul per banc scripturam, quae **TIBI** aliisque significanda habeo. Meretur enim morum *TVO-RVM* suauitas, et in discendo ardor, ut omnibus innotescat, laudibus in scripturam redactis extolli. Et licet, quae te scire vellem, me nimirum **TIBI** bene cupere, et enixe optare, vt praemio, quod virtuti debetur, **TIBI** propediem frui liceat, oretenus **TIBI** exponere potuerim: tamen adfectum ira compescere haud licuit, ne iam hic erumperet, neve per scripta verba paucis iam declararem, quae oretenus pluribus repetenda. Vale, et secunda ubique vtere fortuna. Dabam Halae d. III. April. CICILII.

E

PRAE-

PRAENOBILISSIMO  
RESPONDENTI

S. P. D.

PHILIPPVS IACOBVS HEISLER,

IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD. ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

**V**t TE omnes Furiae, qui iterum interpellas, clamose Dispu-  
tator! Dic, Dave, quis ille? imo apage, iam est in li-  
mine. O! bona TIBI verba, Praenobilissime Domine  
SCHVLER, bona verba. Dignus TV, imo, si per TVAM  
dicere modestiam licet, dignissimus es, qui ad facundae, ipse fa-  
cundissimus, cathedrae sublime decus ascendas. Ascende igitur.  
Faustum ego TIBI successum et ominor, et intimis sensibus gratu-  
lor. Nodi quidem nectentur contra dissertationem TVAM: ve-  
rum ne trepida. Dextere solutos dabis gordios. De TWO e  
scholis meis et Fridericiana discessu quid dicam? Dolet mihi,  
quod TVA deinceps carendum iucundissima consuetudine sit. Ve-  
rum nec pinguiorem inuideo, quae TE audie exspectat, fortunam.  
Quare ultimum TIBI et do, et a TE mutuo accipio. Vale.

---

**E**s kommt im jugendlichen Glanze die Freude,  
Und um sie tanzen ihre lächelnden Schwestern;  
Sie giesst in die Brust der redlichen Freunde  
Dem Pöbel unfußbare Wollust.

Sie ladet uns zu ihren festlichen Tagen  
Und öffnet uns der Ehre prächtige Scenen,  
Durch die der Weihrauch schwimmt in wirbelnden Wellen  
Und mit ihm Dein glänzender Nachrumb.

Du

Du eilst ihm nach; Dir folgt der keuchende Eifer;  
So flog an des Alpheus schattichen Ufern  
Ein muthiger Athlet, der Ewigkeit würdig,  
Dem gymnischen Oelzweig entgegen.  
Dort aber zittert aus dem schmachtenden Auge  
Der Freundschaft eine Dir gewidmete Thräne;  
Die Vorsicht ruft: Du sollst den Abschied bereiten,  
Doch nie Deine Freunde vergessen.  
Hörst Du, o Freund, in mitternächtlichen Klagen  
Pandions Tochter auf der horchenden Eiche  
Den weit von ihr entfernten Gatten besingen:  
So denck an die zärtlichsten Freunde.  
Siebst Du den Frühling einß mit schöpfrischen Händen  
Im Blumen-Feld, so ruf dem gaukelnden Zephyr,  
Erzähl ihm unsern Bund; Er sag es uns wieder;  
So segnen wir unsere Freundschaft.

Ihrem Mitgliede schrieb dieses  
die Gesellschaft der Freunde der schönen  
Wissenschaften in Halle.

## MONSIEUR,

Je ne puis résister à l'envie, que j'ai de Vous faire connoître la satisfaction, que m'a donné la Dissertation, à laquelle j'ai l'honneur d'être aujourd'hui un des opposans. Vous me dirés, ceci est contradictoire! Point du tout Monsieur, on peut faire grand cas du sentiment d'un auteur, et lui demander de l'éclaircissement. C'est le cas, dans lequel je me trouve. Je Vous exposerai mes doutes le plus brièvement qu'il me sera possible, et je recevrai, Votre instruction avec plaisir. Vous trouverez en moi un adversaire des plus traitables, qui Vous estime d'inclination, et qui Vous honore veri-

veritablement. Je saisir cette occasion de vous renouveler  
les assurances de mon amitié, et des sentiments distingués avec  
lesquels je suis

## MONSIEUR,

à Halle  
le IVme Avril  
1753.

Votre tres humble & tres obeissant  
Serviteur  
FREDERIC GUILLAUME AUGUSTE  
DE SELLENTIN, Opposant.

## SIGNORE,

Dubbioso per verità non che malagevole, riuscir veggo  
l'assorto in quest'oggi da me preso. Ah che pur trop-  
po ne son certo sì per esser la mia penna inabile ed in-  
capace di tesser gli encomj, al di lei distirito merito conve-  
nienti, che 'l mio pensiere di ruminar ragioni per resistere  
in questa tenzon litteraria, ch' a lei sarà per esser di com-  
mun applauso, ed a me d'infinito contento. Aggradisca  
questo picciol contrassegno della devozione, e della stima colle  
quali hò la sorte di rassegnarmi

di V. S.

Halla  
li 2 Aprile  
1753.

Devotissimo Servitore  
G. C. G. SCHOENBORN  
di Ducato di Magdeburg.  
Opponente.

OMNIBUS NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**RESPONDENTI,**  
AMICO DILECTISSIMO

S. D.

FRID. IOAN. EMAN. EISENBERG, Oppon.  
MEMBR. SOCIET. AMICOR. ELEGANTIAR. LITTERAR. QVAE  
HALAE EST.

O ptarem, *AMICE OPTIME*, vt adfectum *TIBI*  
meum melius possem commonstrarare, qui meas et amico-  
rum congratulationes hodie excitat, quin TE studium  
*TVVM* cum laude emensum esse, laetemur. Nosti, quae me  
oppugnant negotia, quae quidem me gaudere hodie sinunt; ve-  
runtamen Mus'am et barbiton mibi auferunt. Sed nosti etiam  
candidum meum erga TE animum, epiniciis omnibus *TIBI*  
cariorem. Gratissimo amicitiae et laetitiae sensu terminum  
academicae vitae *TIBI* gratulor, mibi autem, quod TE ami-  
cissimum comitem studiorum corundem huc usque habuerim. In  
*TVO* consortio et consuetudine blandior pars vitac iuuentus,  
iucundior mibi praeterit. Quam me pungit cogitatio, quod  
nos dissipti tractus mox separaturi sint? Sed est hae rerum no-  
strarum conditio, vt optima quaque dies misericordia mortali-  
bus aeuī prima fugiat; nil nobis futum relinquit, nisi vota  
et gratam praeteriti temporis memoriam. Age, amicitia,  
quam communis nostra patria genuit, quam schola, academia  
et coniunctissima familiaritas aluit atque corroborauit, nun-  
quam se animis cuelli patitur. Sit mihi aeternum sancta!  
Spondeo. Vale, *AMICE CARISSIME*. Scripsi Halae d. VI.  
April. c/o Io cc lxxii.

F

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
**R E S P O N D E N T I**  
S. P. D.  
ARNOLDVS CHRISTIANVS STRVVE,  
BEROLINAS, Opponens.

**S**aluto diem hunc votis meis, quo exoptata occasio mibi contingit, publica TIBI testificandi, quam grata, quamque suavis TVA mibi amicitia sit. Quemadmodum extra dubium est, quod fortuna, amicos possidere, demum nobis vitam nostram iucundam reddat, eodem modo etiam certum est, TVA familiaritate, TVA que consuetudine dulcedinem amicitiae me expertum esse; grati mibi semper manebunt omnes dies, quos amicitiae sacros viximus, et recordatio suavis temporis coniunctionis nostrae, mibi semper magnam pariet voluptatem; sed bene! hoc tempus a Deo amicitiae mibi concessum, praeterlapsum est; in procinctu es, AMICE AESTIV-MATISSIME, abire, quo TE auspiciatum atque propitiū sidus vocat; o! quam tristis mibi diremūs nostrā! agre ex amplexis meis TE dimitto; vitinam nec TVA absentia, nec diuturnitas temporis amicitiam nostram mutaret, nec TE unquam capere mei obliuionem sineret! sed sinceritatem TVAM in dubium vocarem, si de immutabilitate TVAE amicitiae erga me dubitare vellem. Abi igitur, carissime amice, abi quia fatum ita vult, viue felix, viue diu. Dab. Halae d. VII. April. MD CCLIII.

DOCTIS-

DOCTISSIMO  
**RESPONDENTI,**  
FRATRI PERDILECTO

S. P. D.


IOANNES AVGUSTVS SCHVLER, Th. C.

MEMBRVM SOCIETATIS AMICORVM ELEGANTIA-  
RVM LITTERARVM HAL.

**S**i, quod nemo certe inficias ibit, quaecunque contingunt  
amicis, prospera animum grati amicitiae sensus capacem  
maxima perfundunt laetitia, aut tristiora affligunt: iure  
meritoque cum gaudere, tum afflictum esse hodie mibi licebit.  
Quem mibi natura et sanguis dedit amicum, OPTIME  
FRATER, specimen eruditionis TVAE TIBI gratulor,  
discissum TVVM doleo. Ipsa enim, quam in corde meo sen-  
tio, voci naturae fortissimae nefas esset repugnare. In laudes  
TVAS tamen excurrere, et haec ipsa prohibet; lacrymis  
diem hunc gaudio TVO sacrum obscurare mos et consuetudo  
impedient. Abst tamen, ut utriusque officio nec satis ullo modo  
faciam; potius congratulationibus et votis, gaudii alias signis  
hodie utar doloris testificationibus. Vbi veras et certas intuc-  
muri perfectiones, ibi amor et gaudium regnant. Iam quum  
consuetudine TVA a teneris vnguiculis ad hoc usque tempus  
a me vñstata vti in posterum non datur: sane et ipso defectu  
de virtutis TVAE et eruditionis ornamentis, de sinceritate  
animi, quem mibi semper testificatus es, vere fraterni in dies  
magis conuictus euadam. Sic ex ipso amore, ex ipsa, quam  
mibi excitas, laetitia dolor mihi enasctur acerbus. Sed alto  
premamus corde dolorem! Sunt quidem nobis, utriusque nostrum,  
sunt,

sunt, inquam, grauiora trifitiae momenta. *Vulnus nobis*  
*grauius non ita pridem infictum animum excruciat.* Verum  
a prouidentia diuina, quae prouidentia infligit, vulnerum me-  
dia precibus sunt expetenda. *Age, OPTIME FRATER,*  
expecta praemia virtutis paternae, ipsi patri, cuius sacra li-  
beris est memoria, citius opinione erecta, coniuncta cum vir-  
tutum *TVM VARVM* coronide. *Ex amplexis meis eruptus*  
in fortunae a summo, quod veneramur, numine *TIBI* desti-  
natae amplexus abi; et, ni lacrymacē prohibuerint, oculis  
fraternis TE discedentem prosequar. *Vale! iterum vale!*

Dabam Halae d. VI. Apr. cccccliii.







**ULB Halle**  
002 612 259

3







Ari. 55. num. 22.  
1753 ga 15

17  
P. 287.

# TESTAMENTO NVNCVPATIVO IN SCRIPTVRAM REDACTO

P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI ET CONSULTISSIMO  
**D. DANIELE NETTELBLADT**  
POT. BOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS ET PROFESSORE  
IVRIS ORDINARIO

D. IX. APR. M D C C L I I I.  
DISPVTABIT

CHRISTIANVS MICHAEL SCHÜLER  
STEND. MARCH.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

